



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 14. Frater Elias a Papa condemnatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

Sæcul. XIII.
A.C. 1244.

§. XIV.

*Frater Elias a Papa con-
demnatus.*

Vading.
1244. n. 4.

n. 1. 3.

Papa Innocentius Genuæ agens univer-
salia Fratrum Minorum comitia il-
luc convocavit tam ad eligendum Mini-
strum Generalem, quam Ordinem con-
trarias in partes scissum recolligendi gra-
tia. Haimoni, qui ei quintus & quin-
quennio quidem præfuerat, vita functo
Frater Elias succedere volebat tanquam
inique loco motus. Numerosas habebat
partes, solutiori disciplinæ ac mitigatio-
ni regulæ faventes, quam cæteri stricte
observari cupiebant zelotæ tunc dicti,
vel spirituales aut Cæsariani ob Cæsarium
ducem suum, quem Elias tantopere dive-
xaverat. Horum numerus comprehen-
debat multos S. Francisci discipulos vel
primos comites, qui adhuc vivebant, ut
Ægidius Assisinas, Leo, ac Ruffinus. Ze-
lotæ, qui veteranorum consiliis uteban-
tur, septuaginta duos Fratres probissimos
doctissimosque elegerunt, qui Summum
Pontificem, Defensorem suum, & totam
Curiam Romanam de vero statu suo e-
docerent. Pars altera hos Zelotas vo-
cabat parum fanos, & rixosas, Eliæ au-
thoritatem prædicans, qui tanquam unus
e primis S. Francisci sociis, & ab ipso
cæteris

cæteris præpositus, ejusdem intentiones **Sæcul. XIII.**
maxime noffet; qui longam regendi Or- **A.C. 1244.**
dinis experientiam jam inde ab ejus ini-
tiis haberet; qui denique Papam inter
ac Cæsarem consilia pacis agitans, Eccle-
siæ utilem præstitisset operam.

Igitur Genuæ generalia agebantur
comitia ab obitu S. Francisci octava: in-
vitaque Eliæ præsentis factione in Mini-
strum Generalem electus est Frater Cre-
scentius Diesius ex Marchia Anconitana,
in qua tunc Minister Provincialis erat,
vir ob doctrinam & senectutem suam ve-
nerabilis, qui Ordinem sero ingressus, an-
tea per annos multos Jurisprudentiam &
artem Medicam professus fuerat. Ele-
ctus autem fuit die S. Francisci sacra
4. Oct. an. 1244. eratque sextus Minister
Fratrum Minorum Generalis. Elias
cum partibus suis ad Papam vocatus est,
qui detectis ejus artificiis omni præroga-
tiva & gratia exutum, simplicem decla-
rans fratrem Ministro Generali parere
jussit, vetuitque, ne vagabundus esse per-
geret, ac nequis ei obediret, aut eum pro
Superiore haberet. At Elias hoc in ani-
mum inducere nequibat, & relicto Ordi-
ne ad Imperatorem profugit. Ergo Pa-
pa Innocentius illum tanquam Religionis
desertorem ac in Ecclesiam seditiosum
a piorum cœtu exclusit, & immunitate

Ff 3 Cleri-

n. 6.

n. 7.

Sæcul. XIII. Clericis concessa privavit, ne vestem religiosam gestaret, prohibens.
A. C. 1244.

§. XV.

Alexander Alensis.

*Monast.
 Angl. to. I.
 p. 928.*

*Nic. Trivet.
 an. 1222. to.
 8 Spicil.
 Vading. an.
 eod. n. 26.
 Id. an. 1230.
 n. 13.
 Duboulay.
 p. 201.*

Paulo post Ordo Minorum quoddam e magnis luminibus suis amisit, nempe Alexandrum Alensem, qui hoc nomen traxerat a patria sua Comitatus Glocestriensis pago, ubi deinde anno 1246. Richardus Cornubiæ Comes monasterium Cisterciense condidit. Alexander humaniores litteras in Anglia edoctus, Parisiis Philosophiæ ac Theologiæ operam navavit. Jam Doctoris insignibus ornatus in magnam existimationem venerat, cum institutum Fratrum Minorum anno 1222 amplexus est. Composuerat Theologiæ Summam, quam Scholæ magno cum applausu receperunt. Etsi vero Joannes Parentius tertius Minister Fratrum Minorum Generalis postea interdixerat, nequis eorum Magistri vel Doctoris nomen acciperet, Alexander Alensis id semper servavit, & multi alii ejusdem Ordinis deinde sibi assumpserunt, ita ut hunc titulum acriter defenderent contra Doctores religiosi legibus solutos, qui eum ipsis & Fratribus Prædicatoribus concedere volebant, ut brevi videbimus.

Alexan-